

Hist. ant. VII. 1
2
PROLVSIO

DE

ΑΠΟΘΕΩΣΕΙ CHRISTO

A TIBERIO DECRETA

QVA AD AVDIENDAS

ORATIVNCVLAS IV

IN

SCHOLA NOVAE VRBIS

AD DRESDAM

IPSIS CAL. NOVEMBR. HOR. II. A. C. MD CC LXII

HABENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

HVMANISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIVS

RECTOR.



FRIDERICOSTADII

EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERI.

ist. Rom.

55/16

8

PROLOGUS

DE

ANNO DOMINI CHRISTO

A. M. D. C. C. L. X. V. I.

QUAD. AD. V. O. M. E. N. T. E.

ORATIONES IV

IN

RECHOLLA NOVAE VRSIS

AD DRESDAM

IN THEATR. NOVA BR. HOLLA. A. G. JO. COCKII

HABENDAS

PATRONOS ET PATRONAS

HUMANISSIMO INVITAT

M. CHRISTIANUS FRIDERICUS QUERNING

RECTOR

FRIDERICUS

IN THEATR. NOVA BR. HOLLA. A. G. JO. COCKII



Nuper cum in eo essem, ut ex instituto meo, primam, quam dicunt, universalem Christianorum persecutionem a Nerone excitatam, enarrarem, monui primos Rom. Imperatores, Christianis non admodum infensos fuisse. Ad hanc rem demonstrandam, a Julio Caesare initium feci, non eo quidem consilio, ac si putarem, eo jam tempore Christianos fuisse, quorum nomen & religio, uti pueris notum est, sub Tiberio & Claudio demum innotuit, sed ut conjectura quadam, ut mihi quidem videtur, non admodum improbabili indicarem, quo animo fortasse is, una cum successore Augusto futurus fuisset in Christianos, si ejus aetas in horum tempora incidisset. At in eo ipso loco, incuria scribae, cui, paucitate temporis exclusus, variorumque negotiorum multitudine, obitu inprimis, Optimi Collegae, Claris: Grahlii distractus, manuscriptum multis scribendi notis repletum, & describendum, & a sphalmatis typographi- cis purgandum, demandaveram, factum est, ut ea non solum minus recte litteris imprimerentur, quae de benevolentia Julii Caesaris in Ju-

daeos scripseram, totaque periodus plane omitteretur, ¹⁾ sed ut etiam totum programma gravissimis linguae erroribus in lucem aspectumque eruditorum ederetur. ²⁾ Quae omnia, uti exposui, facta esse, tum scripto, manu mea multis breviter scribendi notis exarato, probare possum, tum etiam errores ita comparati mihi esse videntur, ut & vicinitate textus refutari, & vix a pueris, qui in primis Historiae & linguae latinae elementis aliquantulum instituti sunt, proficisci queant. Qui enim interpositis paucis versibus contendit, sub Augusto, Julii Caesaris successore, ne nomen Christianorum quidem innotuisse, eum tantae esse ignorantiae & stupiditatis, ut sub antecessore ejus Christianos fuisse, credat, qui ob beneficia sibi tributa, ejus obitum deflerent, vix probabile est. Sed nolo huic odioso, nobisque tam molesto, amplius inhaerere negotio, quin potius aequos rerum lectores mirum in modum rogo, ut pueriles hos errores, non ignorantiae, sed negotiorum multitudini, qua tunc temporis obrutus, & fere oppressus gemebam, humanissime adscribant. Quare nunc ad alia propero, & quoniam verbosiori hoc, & ob malevolos necessario exordio, magnam jam cartae partem occupavi, vixque sequentes plagulae ad enarrandam alteram Christianorum persecutionem, a Domitiano excitatam, sufficiant, lubet hac prolusione in argumento, de studiis primorum Imperatorum in Christianos jam coepto pergere, & ea, quae de Tiberii edicto quo Christum in Deorum numerum referre voluit, in superiori pro-

¹⁾ „Neque dubium est, quin fortasse eodem animo in Christianos futurus fuisset, si ejus aetas in horum tempora incidisset.“ Haec verba in superiori prolusione, p. 5. mutata voce eos in Judaeos, legenda sunt, post verba, esse lacrimatum.

²⁾ Praecipui, precibus meis, indicati sunt, in indicibus eruditorum Dresd. Num. XXXVI. p. 568.

programate breviter tantum attigi, nunc paulo fusius exponere. Fa-
teor quidem hanc rem a multis, nobisque longe doctioribus jam esse
in utramque partem expositam, nosque plane non esse eos, qui inter
hos viros & doctrina & auctoritate conspicuos, iudices quasi sedere pos-
simus, & pro auctoritate sententiam dicere; sed studium nostrum in eo
tantum erit occupatum, ut paucis demonstremus totam rem ex earum
esse numero, quae neque temere probandae, neque plane sint rejiciendae.

Religionis nostrae historiam, priorum inprimis Saeculorum mul-
tis variisque fabulis esse refertam, res est tam manifesta, ut qui primis
tantum, ut ajunt, labiis, eam attigit, in dubium vocare non possit.
Cui enim quaeso ignotae sunt lepidae istae fabulae, quas jam Jo. And.
Schmidius profligavit? ⁽¹⁾ aut quae a Cel. Heumanno, variis operi-
bus, immortalitatis memoria dignissimis hanc in rem disputata sunt? ⁽²⁾
At nisi omnia me fallunt, major fortasse est, quam sibi quidam per-
suadent, fabularum numerus, sed forte etiam minor quam alii praecipi-
unt. Difficillimum enim est in hac re, media incedere via. Sedulo
igitur opera danda est, ut neque ex superstitione quadam, & nimia an-
tiquitatis reverentia probemus omnia, quae nobis a reverendis patri-
bus traduntur, neque temere rejiciamus, aut fabulis adnumeremus,
quae suspicionis nota, ab antiquitate, aut morum nostrorum diversita-
te contracta, aliquo modo laborant. Multa enim, inprimis in Hist.
Eccl. sunt, quibus aut constans favet fama, aut quae nimia vetustas,
aeternis nulloque modo propulsandis involvit tenebris. In utraque re

A iij

quam

¹⁾ Diss. de historia Sæc. I. & II. fabulis variorum maculatis Helmst. 1700.
1706.

²⁾ Inprimis in refutatione fabulae, de Joanne, Apostolo in fervens oleum con-
jecto, bibl. Brem. class. III. fasc. 2. p. 325. inserta.

quam maxime difficile est, sententiam sine errandi formidine, ferre. Periculosum est, uti Phaedrus praecepit, & credere & non credere. Multa, quin imo permulta sunt, quibus praestat Romanorum, Non Liquet, apponere. Ex horum autem numero mihi etiam, ἀποθέωσις Christo a Tiberio decreta, esse videtur. Sunt enim non pauci, magnique nominis viri, e quibus praecipuos tantum honoris causa, nominasse sufficiat, qui rem nostram, de decreto Tiberii, quo Christum in Deorum numerum referre voluit, inter aniles fabulas referant, eique omnem fidem detrahere anxie fere laborent: ⁽¹⁾ sunt tamen etiam alii, quos non poenituisse videtur contrariam defendisse sententiam. ⁽²⁾ Audiamus utramque partem, & ita quidem, ut nullius aut auctoritate, aut eruditionis opinione mentis aciem nobis obcaecari patiamur. Res autem haec est.

Tiberium Claudium Ner. Rom. Imp. ajunt aut fama, aut lectis Pilati, de rebus in Palaestina gestis, actis, aut epistola ad eum de Christo data, esse permotum, ut consilium, de Christo, in numerum Deorum cooptando, caperet; re autem Senatui relata, repulsam tulisse, eo tamen sententiam non dimisisse, quin potius omnibus, Christianorum persecutoribus, damna quaeque comminatum esse. Haec autem omnia nituntur testimonio Tertulliani, qui hanc rem duobus in locis refert, & ex quo reliqui omnes hauserunt. Uterque exstat in ejus Apologetico. ⁽³⁾ *Vetus erat decretum, inquit, ne qui Deus ab imperatore consecraretur, nisi a Senatu probatus.* — Tiberius ergo, cu-

¹⁾ Sam. Basnage Exerc. Hist. Crit. adv. Baron. ad A. XXXV. n. 29. p. 136. Anton van Dale de Oracul. Lib. II. p. 451. Clerici H. E. Sect. I. §. 96. p. 325.

²⁾ Io. Pearsonius in Lect. ad Acta Apost. Lect. IV. Theod. Hasaeus in diss. de decreto Tiberii, quo Christum referre voluit in numerum Deorum, Erf. 1715. recusa.

³⁾ Cap. V. p. 57. ed. Haverc.

cujus tempore nomen Christianum in Saeculum intravit, annunciata sibi ex Syria Palaestina, quae illic veritatem istius divinitatis revelarent, detulit ad senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit: Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Alter locus deprehenditur cap. XXI. ubi exposita Christi natura, miraculis, passione, resurrectione & ascensione ejus in coelos, inquit: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Caesari tunc Tiberio nunciavit: sed & Caesares credidissent super Christo, si aut Caesares non essent Saeculo necessarii, aut si & Christiani potuissent esse Caesares.* His igitur duobus Tertulliani testimoniis tota nostra res innititur. Nam reliqui scriptores omnes, qui huius ἀποθεώσεως mentionem faciunt, sua ex Tertulliano hauserunt. Eusebius, hunc Tertulliani locum bis laudat: Πιλάτῃ Τιβερίῳ, ¹⁾ τὰ κατὰ τὸν Σωτῆρα ἀναγαγόντος, καὶ τῆ χριστιανῶν δόγματος Τιβερίος πρὸς τὸν σύγκλητον ἐκοινολογήσατο, περὶ τῆς εἰς χριστὸν πίστεως. Τῆς δὲ, μὴ πειθομένης, ὁ αὐτὸς θάνατον ἐψηφίσατο κατὰ τῶν διωκτῶν τῶν χριστιανῶν, ὡς Τερτυλλιανὸς ἰσορεῖ ἐν τῇ ὑπὲρ χριστιανῶν ἀπολογία. Eadem tradit in Hist. Eccl. ²⁾ & quidem ita fuse, ut totum caput de hac re agat. In quo tamen loco notandum est, Eusebium, aut Tertulliani locum non vertisse, aut saltem mentem ejus interpretatione non esse affecutum. Omissa enim sunt in Eusebio ea omnia, quae de miraculis Tertullianus tradit; quae tamen imprimis ad ejus propositum spectant; deinde quod Tertullianus dicit annunciatum Tiberio ex Syria Palaestina, id Eusebius de relatione ad ipsum missa intellexit, quem sensum, auctore Valesio ³⁾ vox latina, annunciari, vix admittit.

Eadem

¹⁾ Lib. II. chron. p. 203. Ed. Scal,

²⁾ Lib. II. c. 2. p. 40. Ed. Val.

³⁾ In not. ad h. l. p. 25.

Eadem tradunt reliqui scriptores omnes: Euthychius Patriarcha Alexandr. ¹⁾ Orosius, ²⁾ Albertus Stadenfis, ³⁾ Nicephorus Callistus, ⁴⁾ Ivo Carnotensis, ⁵⁾ Chrysoftomus; ⁶⁾ Reliquos recenset Fabricius: ⁷⁾ ex quibus patet, uti jam monui, omnes inniti testimonio Tertulliani. Jure igitur meritoque quaeritur, utrum in tanto scriptorum coaevorum silentio, uni Tertulliano fides habenda sit, an tota res fabulis, a majoribus pie excogitatis sit annumeranda? Ut res, ab auctore quodam relata, fabulis adscribatur, duo necessaria esse mihi videntur, ut vel ejus indoles ac natura cum veritate pugnet, vel nullis, aut saltem ineptis innitatur testibus. Jam rei nostrae primum fabulae indicium plane deest. Nihil enim involvit, quod natura sua veritati ita adversetur, ut nullo modo fieri credique possit. Tota igitur res ad testes redit. Aequales in hac re a memoria nostra tam longe remota, & in tanta scriptorum, tum gentilium, tum christianorum paucitate, qui de rebus gestis Tiberii & fatis ecclesiae nostrae sigillatim exposuerint, produci non posse, ingenue fatemur. At in ejusmodi rebus aequalium loco sunt antiquissimi. Jam in causa nostra & antiquissimus, & fide dignissimus est Tertullianus, quem scimus, & potuisse, & voluisse, & debuisse etiam vera proferre. Erat enim, uti ex scriptis ejus, & ex Eusebio, ⁸⁾ patet, vir rerum Rom. peritissimus, & in omnibus artibus ac doctrinis probe versatus, ani-

¹⁾ Apud Henr. Ottium, in Examine Annal. Bar. p. 24.

²⁾ Lib. VII. c. 3. 4.

³⁾ In Chron. ad A. 38. p. 39.

⁴⁾ In Hist. Eccl. Lib. II. c. 8.

⁵⁾ In excerptis chronicis, Part. I. c. 25. ubi legitur Pilati epistola, de rebus Christi in Palaestina gestis, de cujus integritate tamen plerique doctorum dubitant.

⁶⁾ HOM. XXVI. in poster. ad Cor. epistolam.

⁷⁾ In Cod. Apoc. p. 217

⁸⁾ Hist. Eccl. Lib. II. c. 2.

mumque a praeoccupatis, pro sua religione, opinionibus liberum habuit, praeterea admodum gravis. Ex quo patet, eum & potuisse, & voluisse, non nisi vera proferre. Scripsit denique Apologeticum, in quo res nostra legitur, ad gentiles, ad Imperatores, & Senatum, in quorum manibus acta erant, ad quae provocat, & ex quibus eum facile falsitatis convincere potuissent, si dubius & haesitans, & ex rumore plebis tantum haec scripsisset. At cum a nemine, quantum mihi quidem constat, sit refutatus, exinde colligi posse mihi videtur, eum non tantum vera scripsisse, sed necessario etiam debuisse. Occurritur nobis quidem, a Romanae sedis addictis, imprimis a Celebr. Baronio, qui eum levitatis reum faciunt. *Licet ipse, Tertullianus* ⁽¹⁾ *inquit Baronius, durus in disciplina esset, in credendo tamen magna erat animi facilitate praeditus: adeo ut quaecunque muliercula se aliquid secundum visum accepisse diceret, mox tantam illi praestaret fidem, ut — omnem illi posthaberet doctrinarum veritatem.* Satis pro imperio haec dicta mihi esse videntur. Longe saniora, protulit de Tertulliano, Nicol. Malebranche, ⁽²⁾ quem patri isti purpurato hac in re longe praeferendum puto. Et si ad tempus etiam concedamus; nam in universum & perpetuum tale quid, de Tertulliano, viro de religione Christiana tam bene merito, & in omnibus doctrinae partibus tam egregie versato, largiri, & turpe & inhonestum esset; si igitur, inquam, paulisper concedamus, ut liberales videamur, Tertullianum ad credendas muliercularum visiones interdum fuisse pronum, tamen hac re, testimonium Tertulliani nihil de fide sua amittit. Nam non contendit visione mulierculae cujusdam percepisse, sed ex actis publicis; ex actis Pilati ad Tiberium ex

B

Sy-

(¹) Annal. Eccl. Tom. I. ad A. C. CCl. n. 13. p. 302.

(²) Recherche de la verité Livr. II. Part. III. c. 3. p. 489.

Syria Palaestina missis, didicisse, Tiberium in animo habuisse, Christum inter Deos referre. Non igitur ab indole ac natura Tertulliani, sed ab auctoritate Actorum publicorum, ad quae provocat, pendet historiae nostrae fides.

At si haec, uti Tertullianus refert, a Tiberio in Senatu sunt agitata, cur reliqui scriptores omnes tam gentiles, quam christiani tacent? Ad haec respondeo, rem nostram ita sane esse comparatam, ut paucis tantum innotescere potuerit, iis tantummodo, qui Senatu Rom. eo tempore aut ipsi interfuerunt, aut quibus contigit, ut acta Senatus diligenti manu perlustrare possent. Deinde, cui quaeso ignota est hujus aetatis, scriptorum penuria? Ingens quidem jam numerus Christi sacra amplexus erat, plerique tamen erant aut litterarum ita rudes, ut vix quicquam lectu dignum litterarum monumentis consignare possent, aut falsa hac opinione capti tenebantur, ut artes liberales, librosque alto supercilio contemnerent. Cui accedit, quod insignis librorum numerus, injuria temporum, neglectuque doctrinarum, nobis sit ademptus. Quis igitur certo dicere potest, annon hujus rei uberior mentio sit facta, in libris, qui aetatem nostram non tulerunt? Nullus denique ullius libri locus adduci potest, in quo necessario hujus rei mentio fieri debuisset, si scilicet unquam tale quid a Tiberio sit tentatum. In quo tamen omnis vis atque potestas argumenti a silentio petiti, sita est. Urget quidem Basnagius Justinii Martyris ⁽¹⁾ in Apologia, Romae eo tempore scripta, silentium: *haec res, inquit, si unquam in Senatu acta, adhuc in recenti memoria esse debuit.* At cum inter omnes constat, Just. M. centum annos post, sub Antonio nimirum Apologias scripsisse, satis mirari non possum, quomodo Basnagius eam rem pro tali habere potuerit, cujus fama adhuc in recenti Senatus me-

(1) l. c.

moria esse debuisset. Ex quo patet silentium Justinii M. rei nostrae parum auctoritatis detrahere.


Caeterum tamen, si res unquam in Senatu gesta est, uti gesta nobis esse videtur, jure meritoque quaeritur, quaenam fuerint causae, quae & Tiberium commoverent, ut Christum inter Deos referre vellet, cum tamen omnes fere Deos neglexerit? & quare Senatus populusque R. Tiberio sese opponeret? Ad prius varie a variis respondetur. Sunt nonnulli, qui putent, Tiberio relatum esse a nautis, in insulam Paxon praeternavigantibus, ab iis, auditam esse vocem: μέγας πᾶν τέθνηκεν. Quum deinde investigasset, quemnam hac voce Dii indicare voluerint, invenisse optimi Servatoris nostri mortem ea fuisse indicatam. Hac igitur re, dicunt, Tiberium non tantum esse commotum, ut Acta Pilati, de Christo sibi missa, perscrutaretur, sed etiam sibi in animum induceret, Christum inter Deos referre. Totam rem, uti gestam esse perhibent, copiose exposuit Eusebius, ⁽¹⁾ testimonioque Plutarchi innititur. ⁽²⁾ Sunt tamen alii, qui majori jure contendunt, Tiberium tam ex actis Pilati, more Praesidum, ex Palaestina ei missis, quam fama, eo tempore jam vagata, mortisque supplicium, res a Christo gestas, percipisse, eamque ob causam, ἀποθέωσιν decrevisse. Pilatum enim, ad Tiberium Imp. acta Palaestinae misisse, & res a Christo gestas indicasse, extra omnem dubitationem positum esse mihi videtur. Quis enim quaesto in cognoscendis Rom. antiquitatibus tam egregie peregrinus ac hospes est, quin sciat, apud Romanos in more fuisse positum, res minoris momenti, quam quae ratione Christi facta sunt, in actis notare, eaque & Senatui & Caesaribus

B ij

trans-

(1) Præpar. Evang. Lib. V. cap. 17. p. 206. ed. Viger.

(2) περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων.



transmittere. Ad quam rem confirmandam provoco ad Plinii Epistolas ad Trajanum missas: ⁽¹⁾ ad Philonis testimonium, qui ejusmodi acta vocat, ὑπομνηματικὰς ἐφημερίδας: ⁽²⁾ ad Tertullianum, Eusebium & Justinum Mart. qui etiam Pilati actorum mentionem facit: καὶ τὰυτὰ ὅτι γέγονε, δύνασθε μαθεῖν ἐκ τῶν, ἐπὶ Ποντίῳ Πιλάτῳ γενομένων Ἀκτῶν. Neque dubium est, quin Tiberii tempore jam fama de rebus, a Christo in Palaestina gestis, Romam delata sit. Constat quidem, etiam ex Scriptura sacra, nomen, Christianorum, sub Claudio demum innotuisse; caeterum res & Christi & discipulorum ejus longe antea jam notae fuerunt. Quare etiam Tiberio facili negotio innotescere potuerunt: & cum Tiberius eo tempore, teste Tacito, ⁽³⁾ quotidie se perire crederet, & a furiis, uti ipse ad Senatum retulit, flagellaretur, fortasse hac ἀποθεώσει Christo decreta, scelerum veniam impetrare, existimavit. Neque abhorruit a Rom. moribus, viros, rebus bene gestis ⁽⁴⁾ claros, in Deorum numerum referre. Virtutibus igitur, in Christo cognitis, moribusque ab antiquis temporibus inter Rom. receptis, veniaque scelerum a Christo sperata, commotus esse videtur Tiberius, ut optimo Salvatore talem decerneret inter Rom. honorem, qualem antea & Augusto, aliisque decreverat. Quanquam autem hunc honorem Christo decernebat Tiberius ipse, suamque voluntatem cum praerogativa sententiae suae ad Senatum referebat, & Sejanus Senatusque huic principi multis in rebus turpiter adulabatur; tamen, auctore Tertulliano hanc legem perferre non potuit, sed a toto Senatu, Sejanoque plane rejecta est. In quo non est, quod nimum miremur, cum ex Suetonio, aucto-

⁽¹⁾ Lib. X.

⁽²⁾ In legatione ad Cajum p. 1016.

⁽³⁾ Annal. VI. 6.

⁽⁴⁾ Lactantius de ira DEI c. XI.

ctore fide & doctrina conspicuo, constet, Senatum, ultimis ejus vitae
 annis, quibus etiam res nostra gesta esse videtur, ita Imperatorem con-
 temsisse, ut etiam reos ab eo judicatos, dimitteret non auditos, &
 Imperator de his rebus ne quereretur quidem. ⁽¹⁾ Videtur autem Se-
 natus, hanc ἀποθέωσιν Christo a Tiberio decretam, improbasse ob
 opinionem populi, pro DEO Christum habentis, & propter antici-
 patos honores divinos. Neque minus, quod religio Judaica a Christo
 approbata, ita abhorrebat a Romana, ut haec cum Judaico-Christiana
 nullo modo conjungi posset, quod Tiberius, quem Suetonius perhi-
 bet, erga Deos negligentem fuisse, animo reputasse non videtur. Re-
 stat ut addamus causam a Tertulliano allatam, quamque, uti jam mo-
 nui, Eusebius interpretatione sua non assecutus est. *Senatus*, inquit,
quia in se non probaverat, respuit: Quibus verbis celeberrimus eccl.
 Christianae doctor nihil aliud indicare voluisse, mihi videtur, quam Se-
 natum eam ob causam improbasse ἀποθέωσιν Christo decretam, quo-
 niam ipse Imperator, hunc honorem sibi olim a Senatu decretum, te-
 ste Svetonio, ⁽²⁾ improbaverit. Ne igitur Senatus videretur, quem-
 quam Imperatori praeferre, fortasse tutius esse putavit, hunc honorem
 Christo denegare, quam Imperatoris voluntati, fortasse simulatae, sa-
 tisfacere. Hanc rationem, Senatus si spectavit, videmus quoque,
 qua ratione hanc voluntatis suae rejectionem, Imperator in malam
 partem interpretari non potuerit. Caeterum jam dudum Eusebius, Chry-
 sostomus multique alii recte monuerunt, exinde quoque singularem
 DEI providentiam elucescere, quod Senatus, voluntati Tiberii non ob-
 temperaverit, ne scilicet, Christo, cui soli divinus debetur cultus, falsis,

(¹) Suet. in Tib. c. 76. Tac. Ann. 1. 7.

(²) In Tib. c. 26.



quos gentiles colebant, par haberetur & humano studio, auxilioque principum hujus terrae religio Christiana videretur esse propagata. Quae omnia, si in summam quasi colligas, sineque praeoccupatis sententiis animo tecum reputes, perspectu non difficillimum esse videtur, hanc ἀποθέωσιν Christo a Tiberio decretam temere inter fabulas aniles, a pia antiquitate excogitatas, referri, sed meliori jure in numero historiarum esse habendam, quae maximā fidei historicae probabilitate gaudeant.

Ad hanc rem autem imitandam, videtur excogitata esse ἀποθέωσις Christo a Nerone decreta. Jo. Antiochenus refert, Nerone sub initium imperii sui optimo Servatori nostro divinos praestitisse honores, postea autem tanto in Christianos exarsisse odio, ut primus esset, qui Christianos graviter vexaret. Cum hoc Antiocheni testimonio conveniunt, quae in Jo. Malalae ¹⁾ chronico, ab Edmundo Chilmeado, erudito Anglo, producto legimus. At cum uterque parum auctoritatis habeat apud doctos rerum aestimatores, cum praeterea eorum testimonia haud firmo innitantur fundamento, cum denique apud omnes alios scriptores tam coevos quam non coevos, tam externos quam domesticos, altum hujus rei sit silentium, naturaque Nerone ab omni plane cultu Deorum abhorreret; majori jure, haec a Nerone Christo praestita adoratio inter aniles refertur fabulas, quam ea, cujus de Tiberio, auctor fide dignus, Actorum publicorum auctoritate innixus, maxima cum veritatis probabilitate, Tertullianus cum iis qui eum sunt secuti, mentionem facit.

Haec praefari de more placuit, cum disciplinae nostrae Alumnorum quorundam nomine rogare instituerem Gravissimos hujus Scholae

IN-

¹⁾ In Hist. Chron. P. I. p. 323. ed. Oxon. 1691.

INSPECTORES, reliquosque PATRONOS ac FAVTORES, ut ad ipsorum oratiunculas audiendas frequentes convenire vellent. Memores autem illius diei festi, quo hac hebdomade memoriam Evangelicae religionis, studio B. Lutheri instauratae, pie recolamus, dicent *de barbarie illa, quae ope atque auxilio Lutheri depulsa est.* Dicent autem hi optimae spei juvenes eo ordine ac ratione, ut

Joannes Christianus Lederer, Kalckreuthensis, *hanc barbariem, tanquam horrendum monstrum,* carmine epico describat;

Christianus Fridericus Glasewaldus, Dresd. autem demonstret, *eam ex neglectu linguarum;* &

Christianus Fridericus Kretzschmarus, Dresd. *ex perverso philosophiae studio, esse ortam.* Uterque dicturus est oratione latina eaque prosaica. Tandem

Carolus Fridericus Gottlob Stoermer, Dresd. *laudes B. Lutheri* carmine epico celebrabit.

Quos si, cui commodum est, audire voluerit, non ipsos modo, sed me etiam magno obstringet beneficio. Itaque eos omnes, qui litteris favent, mihi & oratoribus meis bene cupiunt, ut frequentes hora II. audita adsint, mirum in modum rogatos volo. Scripsi in Schola
Novae Urbis ad Dresdam die III. Cal. Nov. A. C.

CLXII.



INSPECTORES, reliquosque PATRONOS ac TAVTORES,
ut ad ipsorum orationes audientes frequentes convenire velent
Memores autem illius diei festi, quo hac hebdomada memoriam Evan-
gelice religionis, studio R. Ludovici illustri, pie recolamus, di-
centi in hac parte, quae est a quo oratio Lutheri descripta est. Dicent
autem hi operae ipsi juvenes eo ordine ac ratione, ut

Johannes Christianus Lecher, Kalkreuthensis, hanc par-
tem, tamquam verum nostrum, curam episcopi describit

Christianus Fridericus Glaswaldus, Dresd. autem de-
monstrat, tam in regibus Saxonum &

Christianus Fridericus Kretschmarus, Dresd. ex re-
ligione philosophia hanc esse orationem. Verum dicitur est orationem
ratione hanc esse profectam. In hanc

Carolus Fridericus Gottlob Störmer, Dresd. hanc par-
tem hanc curam episcopi describit

Quos si, cui consuetum est, curare voluerit, non ipsos modo, sed
in eam magno obstringet beneficio. Itaque eos omnes, qui hanc
sunt, utique & orationibus hanc bene cupiant, ut frequentes hanc
et ad hanc ad hanc in modum regere volo. Scripsi in Schola
Novae Urbis ad Dresdam die III. Cal. Nov. A. C.

